

ALEXANDRI PATRICII

ARMACANI, THEOLOGI

Cornelius Jungermann, pastore uxoris Episcopi

MARS GALLICVS,

S E V

DE IVSTITIA ARMORVM,

ET FOEDERVM REGIS

G A L L I Æ,

LIBRI DV O.

Editio secunda multò locupletior.

Arrogantiæ non est, vel quærere, vel asserere
veritatem. *Aug. lib. 4. contra Crescon. cap. 66.*

[Handwritten signature]

ANNO M DC XXXVI.

Coll. Soc. ...

Coll. Soc. ...



P R Æ F A T I O.



Vemadmodum Oceanus duobus motuum generibus agitatur, perenni reciprocationis æstu, & prorumpentibus per intervalla tempestatibus; quorum ille causas tam altè abstrusas habet, vt nullà hæctenus Philosophiæ sagacitate detegi potuerint; istæ tam perspicuas, vt nullà subtilitate tegi: ita cor humanum Oceano simillimum duas actionum species parit, quarum aliæ in ipso præcordiorum recessu absconditis cardinibus nituntur, ex quibus iudicentur bonæ aut malæ, quos ille solus perspicit, qui quidquid mille perplexitatibus inuolutum est, veluti Solis radio scriptum legit; aliæ tam perspicuæ improbitatis notas quasi frontibus præfixas gerunt, vt difficile sit, vel imperitoribus nebulas ingenij dexteritate vel sermonis offundere. Tam enim enormiter in ipsa principia Christianæ pietatis impingunt, vt quidquid fucandæ turpitudini prætexitur, magis ad affundendam colorantibus improbitatem valeat, quàm actionibus detrahendam. Cuius ordinis plerisque peritis iuxta atque

ALEXANDRI
PATRICII

ARMACANI, THEOLOGI,

De Iustitia Armorum & Fœderum
Regis Christianissimi,

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

*Proponitur prima Arroyi Quæstio: & paralogismus
in assignanda iusta belli causa declaratur.*



D RINCIPPIO igitur Arroyus quærit: *Utrum*
Rex Franciæ iustam inferendi belli causam ha-
beat? belli, inquam, istius tam luctuosi
Christianæ Religioni, quo Belgium, &
Germania, Franco Batauos atque Barba-
ros ex ultimis Septemtrionis recessibus
euocante, iam tot annos flagrat; quo par-
tem Allatiæ, Treucros, Lotharingiam
nuper occupauit; quod ad vindicandam sibi postliminio
Italiam, partem Hispaniæ, Belgium, Germaniam, reliquam-
que Europam penè totam, iuxta catalogum prouinciarum ex
Arroyo paulò antè in Præfatione descriptum, oblatà vel sus-
citata simili occasione, inferre meditatur, uti relectâ fronte
hic homo profitetur.

Quid igitur Arroyus ad istam quæstionem? Præmittit ex
(a) D. Thoma, vnde totius operis sui se fundamenta deriuatu-
rum spondet, tres esse iusti belli condiciones, (b) *supremam aucto-*
ritatem, iustam belli causam, rectam bellantis intentionem. Et quam-
uis ad id, quod agimas, perparum aut nihil referat, fide tamen

q. 1. Si le Roy de
France à iuste cause de
faire la guerre.

(a) 2, 2. q. 40. 2. 1.

(b) Fol. 12. & 13.

La 1. Que celuy qui
la fait aye auctorité
souueraine comme les
Monarques; & Repu-
bliques.

La 2. Qu'elle soit
faite pour vne iuste
cause.

La 3. Que l'inten-
tiõ du Souuerain soit
bonne & droite.